



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 155. Congressus Confluentinus Regem inter & Carolesium Comitem

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](#)

nim Dux, Comes Armeniacus, & Albre-Sæcul. XV.
 tus cum sex Equitum millibus eisdem A.C. 1465.
 fese adjunxerant. Nihilominus, Comi-
 næo teste, ad omnes Regii agminis mo-
 tutus adeo contremiscebant, ut nonnulli
 Equites, cum favente densissima cali-
 gine itinera versus Parisiensem urbem
 explorarent, ad castra reduces nuntia-
 rent, se vidisse totum Regis exercitum
 in acies instructum, innumerasque lan-
 ceariorum copias; ad hunc rumorem
 communis erat foederatorum trepidatio,
 confestimque omnes ad arma clamare,
 urbique proprius accedere. Ast caligine
 discussa deprehendebant, quod ficitii hi
 lancearii, quos foederati Equites explora-
 verant, non nisi prominentes essent car-
 dui. Ea res risu accepta, cachinis, si-
 bilisque explosa est, omnesque ob anni-
 lis illusionis contumeliam pudore suffusi
 ad castra rediere.

§. CLV.

Congressus Confluentinus Regem inter & Carolesium Comitem.

Ceterum de pace agi cæptum est, &
 quamvis utraque pars ad pugnan-
 dum obfirmatos ostenderet animos; ni-
 hilominus tamen neutra conditiones pa-
 cis aversari credebatur. Nam Regem
 anxii curis divexabant clandestina fœ-
 deræ-

Sæcul. XV.
A. C. 1465.

*Grange aux
Merciers*

*Commiss. lib.
I. cap. 12.*

deratorum Principum consilia, quæ iden-
tidem in Parisiensi urbe fovebant. Ex ad-
verso Foederatorum exercitus annona
ac commeatus penuria laborabat, præci-
pue vero equis pabulum deficiebat. Cum
igitur fatalis utrinque rerum status con-
cordiam suaderet, conclusum est, ut die
tertia Septembris in loco, quem *villam ad
propalas* vocant, per utriusque partis
Deputatos congressus celebraretur. Huic
nomine Regis interfuit cum Cenoma-
nensi etiam S. Pauli Comes; qui, cum
conditiones nimium duras præscriberet,
Regi præplacuit, quod ipsem Carolesius
Comes, nullo interprete adhibito, consilia
conferret. Rex igitur Confluentiam ve-
nit, ac Comitem adiit, nonnisi quatuor
aut forte quinque nobilibus stipatus.
Jamjam Carolesius & S. Pauli Comes,
ad oram fluminis Regiam suam Majesta-
tem excepturi obviam procefferant, eum-
que primi officiosa salutatione venera-
bantur: postea colloquio Ludovicus XI,
initium dabat. Præprimis Carolesio,
quem Sororium appellavit, cum primis
nuptiis Sorori Regis despensus esset, sum-
ma animi moderatione exprobravit, quæ
olim Insulis ad Morvilleum Cancella-
rium liberius dixisset: His præmissis
tandem ad concordiae summam ventum
est. Postulabat Carolesius, Bituricensi
Duci Normanniam, sibi vero Picardie
Urbes

Urbes ad Somonam fluvium sitas tradi ; Sæcul. XV.
 pluraque alia cuvis ex foederatis Prin- A. C. 1465.
 cipibus relinqu petebat. Verum Rex
 Normanniam fratri suo in hæreditatis
 portionem cedere noluit, unde nonnisi
 Carolesio Comiti oppida , quæ Somonæ
 adjacent, Comiti vero S. Pauli Connestab-
 lis dignitatem adjudicavit. His ita
 compositis nec pacis colloquia interrum-
 pebantur, nec bellandi ferocia cessabat.

§. CLVI.

Rothomagum a Burgundo captum.

Borbonii Dux repulsam , qua Rex fratri
 suo Normanniam denegavit, ægerri-
 me ferebat, unde Rothomagum subigere
 animo constituit. Tota hæc Provincia,
 ut olim Britannia felici cujusdam Ducis
 imperio parere exoptabat, spe freta, ex-
 cuso Regis jugo se omni felicitatum
 genere cumulatum iri. Ergo Borbonii *Commin. l. I.*
Dux urbem ingreditur, nec vulgari com- *cap. 13.*
 munis lætitiae significatione excipitur,
 ceteræque ferme omnes Normanniæ ur-
 bes pari jubilo sese Ducis obsequio ad-
 dicunt , cunctique earum incolæ, exce-
 ptis tribus vel quatuor urbium Primo-
 ribus, Borbonio Bituricensis Ducis no-
 mine sacramento fidem suam obstringunt.
 Ludovicus XI, ubi Rothomagenses se-
 ditionem moyisse , & Pontifaram Bur-
 gundiaæ